



# Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere  
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen  
Verhältnisse]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1845**

DCCCV. König Woldemar von Dänemark findet einige Ansprüche auf das  
Herzogthum Estland ab und sichert dasselbe auch für den Fall dem  
Deutschen Orden zu, daß sein Bruder Otto das Gelübde, in den Orden ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56193)

DCCCIV. König Woldemar von Dänemark findet einige Ansprüche auf das Herzogthum Estland ab und sichert dasselbe auch für den Fall dem Deutschen Orden zu, daß sein Bruder Otto das Gelübde, in den Orden einzutreten, nicht erfüllen sollte, am 15. August 1346.

Nos Woldemarus, Dei gratia Danorum Slauorumque Rex et Dux Estonie omnibus prefeas scriptum cernentibus salutem in domino sempiternam. Constare volumus euidenter, quod domicelli Haquinus et Kanutus, filii domini Knuthe pors, Ducis Hallandie, in presentia nostri et consiliariorum nostrorum constituti, omnibus priuilegiis et instrumentis per patrem nostrum dominum Cristoferum, Regem Danorum, pie memorie, super habendo Ducatu Estonie datis eisdem, libere et sollempniter omnique iuris auxilio renunciantes, ea ad manus quoque nostras presentarunt. Nos quoque pro predicto Ducatu Estonie domicellos jam dictos in recompensam de Ducatu Holbeck contentauimus sufficienter, adeo quod sepedicti domicelli nec etiam Rex Svecie seu quiuis alii ad predictum Ducatum Estonie jus aliquod habent, nec habere nec predilectis magistro et fratribus impetitionem mouere de jure poterunt pro nunc et in futurum aliquam questionem. Insuper fatemur, quod si Serenissimus senior frater noster, domicellus Otto, prout proposuit, Deo et beate Marie virgini vouit, ordinem hospitalis ejusdem virginis domus Theutonicorum Jherosolimitane morte preuentus, quod absit, uel aliquo impedimento alio detentus non intraret, ita quod votum suum processum non haberet, nichilominus tamen venditio nostra et donatio ac etiam emptio magistri et fratrum ordinis predicti de sepedicto Ducatu Estonie sollempniter celebrate, prout in litteris inde confectis plenius continetur, in suo robore et firmitate perpetuis temporibus debent permanere. In quorum testimonium sigillum nostrum vna cum sigillis fidelium nostrorum Stygoti Anderson et Friderici de Lochin, militum, presentibus est appensum. Datum Hafenis, anno domini millesimo tricentesimo quadragesimo sexto, die assumptionis beate Marie virginis gloriose.

DCCCVI. König Woldemar von Dänemark beurfundet den Verkauf des Herzogthums Estland oder Landes Reval an den Deutschen Orden für 19000 Mark Silber, am 29. August 1346.

Nos Woldemarus, Dei gratia Danorum Slauorumque Rex et Dux Estonie, Omnibus, ad quos presentes pervenerint, salutem in domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam tenore presentium volumus pervenire, Quod nos, de maturo consilio et bona deliberatione nec non consensu fidelium prehabitis, ex certis et rationabilibus causis, nos et regnum nostrum tangentibus, vendidimus, dedimus et tradidimus jure proprio et in perpetuum religiosi viri, domini fratri Henrico Tusmer, ordinis fratrum hospitalis beate Marie domus Theuthonicorum Jherosolimitane magistro generali, ceterisque fratribus ac ordini domus ejusdem, pro se, suisque posteris et successoribus, ementibus et ex justo tytulo recipientibus, Ducatum nostrum Estonie, ad Regnum nostrum Dacie pertinentem, videlicet terram Reualiensam, jus presentandi episcopum ibidem et quicquid juris ad ipsum epis-